

12
INSCRIPTIONES
PARENTALES
AD TVMVLVM

(ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
DOMINI, DOMINI)

GEORGI
SEBASTIANI

(Comitis in Wisnicz & Jaroslaw)

LVBOMIRSKI,

(Sacri Romani Imperii PRINCIPIS,
SVPREMI REGNI MARSCHALCI,
ET CAMPIDVCIS;

GENERALIS MINORIS POLONIÆ,
Cracoviensis, Chmielnicensis, Nizynensis, Ol-
szty-nensis, Periestaviensis, Casimiriensis

GVBERNATORIS)

Appensæ.

(Eximias tanti Herois Virtutes ac Merita
Flebili Præconio complexæ.) 8628

P E R

M. Matthiam Treterum (I. V. D. ac S. R. M. Polonæ Secretarium,
Supremo Famulantis Pennæ obsequio

ANNO) M. DC. LXVII.

E V U L G A T Æ.

Viennæ Austriæ, Typis Matthæi Cosmerovij, S. C. M. Aulæ Typ.

Omnes morimur, &
quasi Aquæ dilabimur
in terram, quæ non re-
vertuntur.

2. Regum Cap. 14.

P-17-f-98
2°-736

districtum comparere noscuntur *Æacum*; sine fuco
videlicet ac tegmine, suo non adventitio *Magnum*.
Non eget alienæ facundiæ suffragio, cujus Glo-
riæ, suffraganea virtus niveum addit calculum;
& Venustatem elucubrati fastidit sermonis,
quem Factorum non Verborum circumstant
Decora; Securus igitur manum paginæ admo-
veo, licet me imparem Argumenti dignitati agno-
sco: quia & *LUBOMIRSCIANÆ* Virtutis
Eminentia, Conscientiâ molis suæ subnixa, sub
modicæ tenuitate suadæ decrescere non poterit; &
Fama *GEORGII* toto volitans Mundo, à je-
junis Elogijs Gestorum maciem contrahere non ti-
mebit. Hæc nimirum est Heroicarum mentium
summa felicitas, quòd mensuram suam ipsæ solæ
adæquent, ac exhauriant: Unde quoties Magnitu-
dinem earum, tenuibus lineamentis in chartas tra-
ducimus, non hoc agimus, ut Fastigia tanta, subli-
mitate dicendi assequamur, sed ut Quanta sint,
Objectu Pusillitatis nostræ, inter ipsa serpentis
Encomia, demonstremus. Majestati autem
Vestræ, exile licet Opus, ambitiosâ (fateor) hu-
militate consecrare ausus sum & præsumpsi, qua-
tenus eadem manus, quæ Defuncto Patrono Pa-
rentales lessos condit; Fidem Obsequiaq; Mea

Majestati Vestræ stipuletur, & Clementissimam Tuitionem felici temeritate apprehendere valeat. Deflectet confido Majestas Vestra ad suum LUBOMIRSCIUM fatali jam caligine pressum, illa Augusti vultûs Lumina, quæ Orbem serenant, & me Fata Domini sui pullato prosequentem calamo, patietur in Comitatu ejus (quem speciali Majestas Vestra dignata est favore) ad aliquam vel postremam Augustæ Protectionis erepere Portionem. Qui semper sum

SACRÆ CÆSAREÆ
MAIEST: VESTRÆ

Humillimus servus

M. Matthias Treterus,
J. U. D.



INSCRIPTIO PRIMA
EXCELLENTIÆ
AMISSÆ PERSONÆ.

QUorsum Marmora & Saxeas Moles?
ad Tumulum hunc Patria,
cladibus suis attonita, in SAXUM dirigit.

SPECTA NOVAM NIOBEN VIATOR,^a
Quæ adversariam itidem passa LATONAM,
post amissos tot liberos,
novissimè in GEORGIO LUBOMIRSCIO
qui, Unus Omnium Vota Æqua verat,
Omnium damna superavit,

EXANGUIS LAPIDESCIT.

Ab! serò frigidis inhæres artubus ô Mater misera,
ac pænè pari cade verosi Vultûs gelu stipata;
Tam longæ inopini Exilij moræ,
ad meliorem GEORGIUM, excivère Patriam;
Quâ solâ Pertinax livor interdicere
Virtuti nequit,
æternâ illinc Proscriptione jussus exesse.
ILLUD TUA INTERERAT,
Ut torpentes fatali rigore oculos, dilectâ manu componeres,
qui in ipsâ jam natantes morte,

B 2

POST

a. Ovid. lib. 6. Metam.

POST DEUM PATRIAM SPECTABANT,
PATRIAM REQUIREBANT.
TUORUM;

Ut supremum abeuntis Spiritum exciperent,
quo pari animati æstu,
Meliolem mentem induerent,
neu Vesano marcentes stupore;
Mala queis premuntur,
sine sensu mali transmitterent.

Deinceps.

*Næ fatiga singultibus exsuccos Cineres
Redivivum Orbi hunc Phœnicem iterum non duros.*

Suffecerit Materno receptum sinu
complexu refoviffe;

qui Attici SOLONIS Æmulus,
*Libenter in Vita Patriâ caruit, næ Patria in vita,
Libertate careret;*

*Et peregrinas exterens terras spontanea inijt exilia;
Vt in natali terrâ, pleniùs A vita possessionem firmarent Jura.*

Dabit Vberem Virtutis Proventum ^{b.}

Vel CINIS ejus:

Si hunc quóque per Campos tuos
(dummodò cultura respondeat)
feminaveris,

*Exigent aliquando ad hanc normam secula,
Natorum suorum Genios,*

*Explorabit ad hanc Lucem AQUILA POLONA
consonos generi Pullos,*

Quòd si Malignæ incubuerit acies Fortunæ
omni impervium telo Pectus illud erit,

Quod

^{b.} Solon Moriturus jussit per Provincias cinerem suam seminari.

Quod *LVBOMIRSCIANO* lustratum gurgite,
certius quàm suo *ACHILLES* styge,
Vim Virtutemque ejus combiberit.

Atq; vtinam Præsentia sæcula componerent sese,
ad Limpidissimi hujus *FLVVIJ* speculum,
Pulchrior eniteret Reipublicæ *POLONÆ* Facies;
quæ hodie postquam nativi oblita cultûs,
Exteris pingi fucis

Ignotoque ante hac ritu, adcomi cepit;
Et antiquam speciem amisit,

Quàm male ô Poloni

Laudatis veteres, sed vestris vivitis annis!

Ad veterem generosi ortûs
revocans dignitatem *LVBOMIRSCIVS*,

Aperiri que tandem optat fascinatos

Gentilium suorum oculos,

dum claudit in morte suos:

*Vt detracto, quod capaces gloriæ infuscat Spiritus, nubilo,
per Mortuales saltem (quibus jam tegitur) Umbras,*

Virtutis diluculum omnibus transpareat.

In hac ille Luce totos Vitæ exegit dies,

nunquam nisi ad privata caligans commoda:

PRIMA ILLI POST ÆTERNVM,

PVBLICI BONI CVRA:

Ad cuius Vsum, dum omnia optat, & transfert Tempora,

Sibi Vsum temporum (immaturè raptus)

abstulit & incidit.

*VITALEM non immeritò IPSAM LVBOMIRSCIJ
MORTEM poteris dicere;*

quandoquidem, vt, supremis laboranti Patriæ, subveniret,

Laboribus pro Patriâ immortalus,

*non tam amisisse Vitam, quàm mansuram in Reip: corpore
transmisisse censendus est.*


Tu quóque parem concipe VIATOR
aut de ultimo morientis habitu, rape spiritum;

Si perfunctus sæculo & Vitâ
sæcula tamen & Vitam lucrosâ commutatione
gestis attingere.

Hæc nimirum Fœnora veniunt à Funere

sed ijs duntaxat

*qui præsentium negligentes, ut inserantur æternis,
Modico quem Virtuti locant laboris impendio, gloriosæ
Immortalitatis licitantur emuntque compendium.*



INSCRIPTIO II. PRÆROGATIVÆ ILLVSTRISSIMI GENERIS.



Isi pridem Fabulosæ Antiquitatis deliria
Veritas exarmâsset;

Nisi lapides sanior Philosophantium
sensus exanimâsset;

Lapideum, à Pyrrhâ & Deucalione, Hominum Genus esse, c.

Saxa testaremur

Constantia LVBO MIRSCIJ probaret.

Qui veluti Marpesia Cautes.

Prospera & Aspera,

Blanditias fortunæ & minas,

Premia & supplicia,

inde-

indeflexo semper supercilio,
ab alto Mentis despexit cacumine.

*VERVM ALTIORI GENIVS HIC
DEBETVR ORIGINI;*

Vtpote qui per Inclyti sanguinis deductus Venas,
è Gestis Serieque Majorum, hausit eam Firmitatem Morum.

Faciles nemo imaginetur *SRZENIAVÆ* Lymphas
aut in quamvis formam fingi properas:

Lapidosa illis, quemadmodum Aquis Silari, d.

Vis inest

quâ increscunt Posteris, hoc FLUMINE,
ad omnem tolerantiam Tincti:

*Palestram in Domo LUBOMIRSCIA aperuit Virtus,
In qua Athletas Hieronicasq; suos, non jam oleo,*

& parum Virilibus succis,

Sed Gentilitij duraturos vigore FLUVII,

Fortunæ & Bellonæ, Casibus & Prælijs objectat.

Spectavit toties Orbis LUBOMIRSCIOS

in Circum Arenamque progressos,

Plausum omnium & Coronam rapuisse:

Unus STANISLAUS hujus quem plangimus Parens,

OSMANNO TURCARUM Imperatori

ad Chocimum commissus,

Illum Mundi Terrorem exterruit;

& extrema SARMATIÆ minitantem,

ad extrema redegit,

in gloriâ Pace, præscriptis belli,

infamiam redimere compulsus,

Æmulum jam Nilo agnosco SRZENIAVAM.

*Ille de Montibus Lunæ, famâ solâ,
ac pomposi Ægypti mendacio cognitis,
incognitus tamen, velatoq; Originis suæ capite labi creditur:*

Hic ipsis BARBARÆ LUNÆ palam insultat,

Et superstagnat Cornibus

hostiliq; tumens sanguine,

ingentes ad posteritatem Gloriæ suæ evoluit Auctus.

Aptârit Romana Pubes Cothurnis suis

indices Nobilitatis ex argento Lunas,

Quàm nobili censeatur Origine GEORGIUS,

docet substrata pedibus Parentis,

OTHOMANIDUM LUNA.

Geminat felicem Natalium pompam

Materni Prærogativa generis,

Sereniorem à PRINCIPE PURPURA

colorem mutuata.

Insperfit hunc DUCUM in OSTROG sanguis,

Qui Regalis etiam, de progenie DUCUM MASOVIÆ,

Conchilio tumens sanguis

Nor mirum si nascenti GEORGIO tam vividum cognate

Virtutis appressit succum,

ut nunquam, Consciis Purpuratæ Originis, ad formidata

cæteris Terriculamenta expalluerit.

Bonis ad Maxima quæque

Præducibus Majoribus suis,

ingens ille GEORGIÏ spiritus:

IN QUEM QUO PLURA

CELSISSIMORUM RETRO PRINCIPUM

A CONRADO MASOVIÆ,

NEC NON AB OSTROG DUCUM

COIVERE NOMINA.

EO PLURIBUS NOMINIBUS

Famæ & posteritati

Censuit se esse obligatum.

Exerrare à Recto & Honesto quinam posset?

Cum per Rectam tanti Honoris Lineam,

& quidem, tot antedaneis Heroibus,

faces Præferentibus, descenderet.

Credimus jam Mathesi, Puncta Gravitatis adstruenti:

Siquidem LUBOMIRSCIVS Genethliacis Lineis,

ad Punctum Hæreditariæ

delatus Gloriæ

licet tanto Fortune rotaretur circumactu;

ad Virtutem tamen & Gloriam,

tanquam CENTRALE PUNCTUM, semper gravitavit

Spectastis Inclytum Nepotem,

è lacteâ Cœli viâ (ubi vos vel somnians locavit Scipio) e.

Heroicæ LUBOMIRSCIORUM ac DUCUM

in OSTROG Animæ

illo agi impetu, qui vos, per Curules & Fasces,

ad Æternitatem sublimavit:

Nec injuriam dati sanguinis credidistis,

quòd Decora sanguinis,

Gestorum celebritate Nepos transcenderet.

Ita nimirum Serenius coruscat, Inclyti germinis Gloria,

quando Splendor Natalium, per radios repercutitur Morum.

Sentiens cum CAROLO V.

Solem suum constitutum

† NONDUM IN AUGE.

Eant jam quibus totus ex alieno Majorum fulgore Census est;

qui Avito inflati Merito, Vacui suo,

D

Vanissi-

e. Cic: in Somnio Scipionis censet Heroes in Viâ lacteâ habitur.

f. Symbola Salomonis Neugebaveri.

Vanissimâ jaētantiâ ostentant Insignia,
Patriarumq̄ue Titulos Dignitatum,
indignum hodie Hæredem dedignantes :
Malè Solis concreditur Ceris Gloria,
quas sæpè, Vbi ad domesticum focum ignavus Nepos,
languido tepore resol·verit
Consequitur ICARIÆ Sonitus ruinae.
 Perstringit Endymiones hos,
 Virtutis splendore *LUBOMIRSCIUS;*
 indormire Partis curâ Majorum,
 nunquam fuetus.

Attemuari ille semper credidit Magni Nominis Opes,
quæ magnorum accessione Facinorum non increferent.

Unde illo ipso, quem per Illustrissimas
 propagines hausit, calens sanguine,
 eousq̄ue Profapiæ Gloriam extulit;
 Ut mole ac numerositate Ausorum,
 factus sit Victor ipsius stemmatis
 quo cæteros à Genethliacâ sorte immunitos,
 Vincit & anteit.



INSCRIPTIO III.
 GLORIOSE
 TRANSACTÆ JUVENTUTI.



Iste VIATOR ad RIPAM hujus FLUVII
 qui JORDANIS sequutus vestigia,
 in Mare Mortuum jam descendit. §

En

En Lapides ;
quos, ex alveo arefacti FLUMINIS,
in sepulchrale Officium, Dolor ingessit,
Parentales exsudant lacrymas :
ac Posthumis tantæ virtutis madent profluvijs.
Percurre intercisa gemitu,
& cadentis LUBOMIRSCII ruinâ, fracta verba ;
cùmque obtritos,
Pondere com̄unis damni apices perlustraveris,
Amplitudinem Amissi SRZENIAVÆ,
ex tantis applorantis POLONIÆ Fletuum stillicidijs, metire.

Nondum ille Tantus,
Annorum meritorumque *compagne* increverat,
& jam fueto MAGNORUM FLUMINUM ^{h.}
CAPITIBUS Cultu, ARAS HABUIT,
Ubi præconceptæ spei,
Amantium jam Cordibus litabatur.

Non soli licuit Charmo^{i.} ad suæ valuas Academiæ,
ARAS AMORIS erexisse

Postquam LUBOMIRSCIUS
Primæ Rudimenta Juventæ,
Amoribus ACADEMIÆ CRAC: illigavit
Amoris Tempia, Altaria, Flamines
æternosque in Pectoribus omnium, ignes,
publico consensu meruit.

Jam inde votivæ pro salute ejus
cadebant victimæ,

Cum saluti Publicæ natus,
non vano omine crederetur.

Difficile Magni vel in parva ætate premuntur spiritus ;

^{h.} Sumptum ex Seneca. i. Clemens Alexandrinus in Protrep.

*Ipsò innocuì Candoris sese describunt stylo,
& in rudibus Pueritiæ Lineamentis,
totam sequentium actuum præformant Idæam.*

*Quanti stupuere LUBO MIRCIIUM
dum Mores cum Annis componerent?
ac in Excelsâ indole, Futura Bona,
quasi jam Transacta relegerent?*

Esse suum Virtuti Autumnum,
temporum lege non auctatum, quisquis nesciit
in GEORGIO tunc attonitus suspexit;

qui adolescentiæ spatia,
Adultæ Mentis impetu exsuperans,
in ipso Gemmantis

ævi vere, Maturitatis Decus occupavit.

*Frustra nimirum seras expectes Annorum Periodos
in ijs, quibus Majestas virtutis Reverentiam senij conciliant.*

Alio hi signante sole Dies exigunt,
temperantq; suos, qui Erraticam fastidit^k. Lucē.
nec confusis Mensium, sed ordinatissimis
Bonarum Mentium aguntur, revolutionibus.

Omnibus mobilibus,

mobiliorem esse Sapienciam Veritas vulgavit. 1.

Ad tanti Raptus Motum, dum Primam vitæ suæ
accommodat ORBITAM GEORGIUS,
Eccur mirentur Sæcula? quod Cursus sæculorum,
celeritate indolis anteverterit?

ac in Prætextâ, interque Pueriles bullas,
Togas jam & Laticlavia exhibuerit?

Nec verò (quod plerisque Vsu venit)

aut flexu ætatis abreptus,

aut

k. Sol inter stellas, quæ dictæ Errantes. 1. Sapienc. Cap. 7.

*aut per discreta Regionum quas visibat,
à Virtute discretus est.*

Ita inter cognata inventuti Vitia,
ac peregrinorum Morum viscata plerumque
lenocinia, integer Vitæ pertransijt:
Vt nec in Lubricæ ætatis licentiâ lapsaret,
nec ab exteris firenibus Cautus
Vlysses emolliri posset.

*Quàm multi cùm Terras nationesque percurrunt,
Patriam statim & collactaneos mores exuunt!*

*& præposterâ ratione,
Incolatum figunt horum studijs in mente,
apud quos hospitantur duntaxat corpore.*

*Vnde vel in Cute noscitur,
quòd Abeno calentes sole terras adierint,
cujus fuliginem, detritâ Nati-vi cultûs gratiâ,
tam intimè combiberunt.*

LUBOMIRSCIUS per dissita locorum circumlatus,
illud tantùm de Gentium moribus attraxit,
quod in suum oppurtunè Colorem derivaret.

*Quemadmodum enim Valentia corpora,
Ciborum Vim in propriam substantiam transferunt,
defectuosis indigestæ eorum qualitates affricantur:*

Ita ille, quidquid ex Vsu ac Varijs Gentium
Institutis decerpfit

ad Vsum & Genium Naturæ Polonæ deflexit;
Cæteri illis potissimum affectionibus laborant,
quas Peregrinus sapo rlevi animo instillavit,
Hymæum Fluvium Cælestes feruntur mutare plagæ, m.
terrarum quas alluit contagione depravatam.

E

Pro-



Procul Vaga hæc facilitas à SRZENIAVA,
qui sui tenax succi,
nil præter Peritiam rerum,

& Formas regiminum aliunde hausit.

Eò proinde sincerio rem animum
ad Rempubli cam attulit.
quò peregrinæ Consuetudinis
mixturâ incorruptus,

Gentilem Genium Varietate Gentiũ non variavit.

Maçte hæc æquabili Constantiâ GEORGI.

Cui illæ ipsæ Nationes adplausêre,
quæ plerisque alijs, in Vitia flecti Cereis,
pudenda metamorphosi illusêre.

Ibas per populos noscendus magis, quàm notitiam hausturus :
cùmque alios spectacula Exterarum Urbium,
Molium, Artefactorum detineant,

Tu novo Exteros Tui ipsius spectaculo detinuisti
admirantes, diuturna sequestratione à Patriâ,
sequestrari Te nihilominus à gravitate Moris
Patrij non potuisse.

Quacunque Tibi iter parabatur, præcurrente Nominis Famâ,

Obvia cunctorum Veneratio pariebatur
priùsque loca quæ Visere placebat, inibas Gloriâ,
quàm impleres Præsentiâ

Liceat vel hinc Divinari, quantis
circumfluis amoribus,
adultam egerit ætatem GEORGIUS.
quando vix primâ signatus lanugine,
dum SAPIENTIAM in celebrioribus
ejus vestigat Emporijs,

adeò jam Palato omniũ morũ suavitatem SAPVERIT.

Vidit

Vidit adama vitque Virtutem ejus,
ille qui non deficientem per Regna Patriam Diem videt,
PHILIPPUS IV. Rex Catholicus.

Et miratus, tam Nobilem Gemmam,
inter rigidos Aquilonis concrevisse Triones,
qualem utroq; tostæ sole, Oceani sui non adequant Conchæ
Regali illum dignatus est Annulo ^{n.}

Sequitus est Orbis, Æstimationem Summi Regis,
Summoq; deinceps habitū in pretio GEORGIUM,
ijs inferuit Culminibus,

quibus Sarmaticum hunc Perdicam, ^{o.}
HISPANUS ALEXANDER Tradito
Annulo suo dignissimum judicavit.

Nec ille tantæ spei defuit, spe semper votisq; Majora aggressus.
Utpote, qui illo sese Annulo virtuti obsignatum
perpetuò sensit & gessit.

Desponsat quotannis Nobilissima Urbs,
Adriatici sinûs, in Principe suo,
per Annulum obsequens Mare; ^{p.}

SRZENIAVII FLUMINIS obsequia,

Tota AUSTRIACA

Domus, jam inde sibi,

Hesperio illo Annulo perennè
subarrhavit.



^{n.} Donatus ab illo Annulo cum Adamante magni prebi. ^{o.} Justinus.
^{p.} Dux Venetiarum in Ascensione Domini id facit.

INSCRIPTIO IV. PIETATI IN PATRIAM.



ANTRUM ꝑ. TROPHONIJ
in hoc Tumulo habes VIATOR,
Cujus Limen postquam calcaveris,
senties te subito AGELASTUM
Extorquet hęc vel invitis lacrymas,
ipse LUBO MIRSCIANI Nominis sonus,
Et ad solam tanti Viri Memoriam subrepunt gemitus,
in uno nomine Casum totius Regni miserantes,
ac Funus Polonię inter alienas Exequias Metuentes.
Irritamenta sunt hodie Doloris,
quę olim fuere illicia promiscui Amoris.
Et Virtus LUBO MIRSCIA
semper alias Bono publico militare sueta,
nunc in publicā injuriā, mæroris aculeis armatur.

Quid ita?

Siquidem ipsa recordatio tot Bonorum exasperat,
quę cum Voluptate habita, sine anxietate perdi non sustinent.

Requirunt Oculi illum quem suspexerant,
& frustra per inane vagantes,
ulciscuntur lacrymis jacturę suę Pænas.
O MERITA DIRAS OMNES PARCA!
Tām Dirā per vnius GEORGIJ Fata,
in Fatum nostrum molita.

Ille nobis solus Numeri pensabat Damna,
Domi subsidium, Foris ornamentum,
Affertor Jurium, Arbiter Consiliorum

HECTOR

ꝑ. Hoc antrum ingressi videre nunquam poterant.

HECTOR in Praelio, NESTOR suffragio:

Ita in omnes partes capacissimam
Partiri fuetus mentem,
ut in uno hoc jure meritò
non unum sed plures amissos requiramus.

Prima illi ab Exteris Reduci Cura,
Semina virtutis ac scientiæ,
quæ in umbra Lycæi jecerat,
sole ac Publico maturare.

Hoc mirum est,

*quod est Philopæmen Princeps monuit, Doctrinam r.
transferre ad vitam*

nec sibi tantum ac Otio, sed Usui ac Negotijs sapere.
Quò mihi Veneranda sapientiæ Majestas?

Si secretioribus studijs,
quàm olim Ceres Eleufijs sacris colatur.

*Degenerat sapius Pallas hac nocte tecta,
& informes hodieq; Fovet Erichtonios,
cum sibi refuga lucis Favet solitudo. s.*

Alia LUBOMIRSCIO Mens,
qui totam summi ingenii Dotem
in apricum proferens,

Elocandæ in tutum Reipub:
Virginiq; Libertati transcripsit.

*Ama vèrè Genium hunc Serenissimi Reges
VLADISLAUS & CASIMIRUS.*

eumq; Curulibus & Curis Publicis admo vèrè.

Ita demùm in comùnne profuturum presagientes,
si ex Altiore Honorum fastigio,
latiùs in communes necessitates dispiceret.

F

Exple-

Explevit ille Designantium Vota,
 cum Designata sedulus implet Munia:
 Perofus semper Vanitatem illorum,
 qui Magnifico Procerum
 Nomine segne otium velant
 aut Senatoriæ Jactantiæ vocabula,
 non nisi quæsito Tumore explicant.
Dignitas ejus ad mensuram Publicæ Utilitatis tendebatur;
 non aliter Præesse volentis nisi Prodesset;
 & in summa Fortunæ
 Eminentiam ad plurium usus promineret.
Præcipuus Prisci moris Exactor, in id omnem operam contulit,
ne Antiqua Majorum Instituta & Jura,
desuetudine vel abusu Antiquarentur.
 Gnarus Libertatem nisi seipsam adstringat,
 strictos nimium sibi met Compedes producere,
 Vagos illos *quidvis sentientium sine sensu Impetus,*
 cohiberi frustra tamen vovit;
 expertus scilicet *Liberam Vocem*
 sæpe turpi quæstu mancipari,
 & in servile obsequium submitti.
Ab! Probrosa Nocendi Ratio! quando Pignus salutis
vertitur in materiam Perditionis.
 & illam ipsam Voce, Patria præfocatur,
 quæ sub Libertatis nomine,
 à Captivâ prodiens Mente,
 subtiles laqueos Libertati necit.
 Medius inter nefastam hanc Licentiam
 servitutemque GEORGIVS
 ac Neutrius Patiens,

Tutissi-

Tutissimum fenfit, contrahi ad veterem normã,
Legumque compagem,
quidquid Error,
vel Temeritas dissolvit ac laxavit.

*Dissentire aliquando visus MAJESTATI,
dum ardentius pugnabat Libertatem,
Ita tamen ut Pulcherrimo Consensu,
Decus & Commoda, utriusque connecteret.*

*sequutus hãc in parte Morem Exemplaque Cælorum,
qui licet obsecundos Primo Mobili substernant Orbes,
innoxiè tamen, per Proprios contra feruntur Motus;
& hãc ipsã Discordiã in Bonum mundi concordēs,
dum obstare illi, quã rapiuntur, spheræ videntur,
ad Optatos Inferioribus Influxus conspirare noscuntur.*

Jam Pericula Patriæ causã accersita percensere quid juvat?

*Vidère Populi inter continuos Bellorum fragores,
Vita & sanguinis Prodigium,
ut illã Prodigalitate Parsimonia Civilis sanguinis emeretur.*

*Vidère Rigidã quãdam inclementiã
Negligentem sui dum rapitur Amore communi.*

Nullus Patriam mundavit Hostis,
qui occurrentem LUBOMIRSCIVM non sentiret:

Nullibi POLONUS increpuit Mavors,
qui eundẽ ad signa & bellicũ pulverẽ non exciret.

*Saginari planè visus voluptate laborum,
quos salutis Publicæ sapor condivisset.*

*At Tu Æstuas interim SARMATIA
dum horum memoriã tangeris:*

& per optatas similium Heroũ errans Images,
spe ac votis extenderis, cùm Re & Viris deficis.

Atque utinam, in reperiendo altero GEORGIO,

Tua,

Tua, sæculique hujus,
non succumbat felicitas.

*Sed enim magnorum Virorum Damna,
facilius sentiri possunt,
quàm sarciri.*

Didicit id malo suo OCTAVIANUS AUGUSTUS,
qui amissis MÆCENATE & AGGRIPPA,
Geminis Imperij sui basibus,
Totius deinde Orbis Censu inito,
in Vicaria non suffecit Capita.


*Adeoque, (Teste Senecâ) totâ AUGUSTI Vitâ,
inexpletus Duorum vacavit Locus. u.*

Flecte tamen Natorum oculos ad hoc Bustum,
Erit aliquis qui de Favilla LUBOMIRSCIJ,
paris Virtutis concipiat Igniculos,
& ad Trophæa hujus MILCIADIS,
novus inardescat THEMISTOCLES.

*Speciosa sunt plerumque Exempla,
quæ Heroum commendat Gloria,
& Gratiùs alludit oculis Virtus,
pulchro titulorum lenocinio compta.*

Juuet ô POLONI extimam saltem
Facinorum LUBOMIRSCIJ Visu
delibare superficiem.

*Accedet aliquando parium Audendorum Amor ad animum
Si accesserit adamatus in Ausis
actibusque suis LUBOMIRSCIVS
ad Gustum.*



IN.

INSCRIPTIO V.
FIDELITATI
ERGA SERENISSIMUM REGEM.



Qui Megarensium Mænium Lapidem
SOL ORIENS docuit, ^{x.}
A faxis his quæ sepulchrali imposita Moli
cernis VIATOR,
Flebilem extorquet Vocem SOL MORIENS,
qui letos secum Poloniæ, uti attulerat, abstulit Dies.
Coière hæc quoque ad suprema
AMPHIONIS sui obsequia, ^{y.}
cæterùm NON FICTA stupefacta FIDE. ^{z.}
Dulciores illa nunquam modos edidit,
quàm cùm se totam omnibus modis,
ad Regni ac Regnantis factum temperavit.
*Plebeium hæctenus Bonum, credita est plerisque Fides,
sed illis duntaxat, qui Chamaleontis in morem,
quia ad omnem hiant Ventum,
in omnem facile sese transdunt Colorem.*
Apage verò Leves hos VERTUMNOS,
quibus, ut cuipiam placeant POMONÆ,
omnis Forma placet ^{a.}
*Excelsa Mens quemadmodum Cælis confinis,
ita iisdem conformis est,
ad Unam indissolubili nexu adstricta Formam ^{b.}
Equitem Bonum Virum Omnis decet Color; ^{c.}
non tamen ille quem Temporarius fucus incruscat,*

G

sed

^{x.} Ovid. Metam. lib. 8. ^{y.} Nota fabula de Amphione cytharæ
cantu saxa trabente. ^{z.} Luditur in voce Fides. ^{a.} Ovid.
Metam: 14. ^{b.} Physica docet de forma Cæli. ^{c.} Sen. sententia.

sed quem sincera mens, æmula Zeuxi arte Æternitati pinxit.

*Ita concolorem votis rebus Principis
animum tenuit semper GEORGIUS,*

nullius alterius Tincturæ Patiens,

nisi quam Candida sinceritas ille visset

Sub SERENISSIMO VLADISLAO IV.

Tyrocinia Obsequiorum posuerat,

in quibus tamen Ducem

jam tum implebat veteranum.

Cum in cæteris facile primas concederet ijs

quos Ætas provexerat,

in Fidelitatis certamine præveniri non sustinuit,

Omnium Canos Candidissimæ Indolis ni vibus supergressus.

Exempto humanis VLADISLAO

Regalem Serenissimi CASIMIRI Fortunam,

non modò sequutus est, sed pænè transtulit:

Siquidem CAROLI æmuli ardorem,

eandem Coronam ambientem,

Mirâ solertiâ restrinxit.

Quantum in sopiendis Animorum motibus

SRZENIAVIUS latex præstet, tunc patuit;

cum in tanto Votorum æstu, Ambitus Fraternalis,

multorum licet Votis sufflantibus,

ad GEORGIANÆ FLUMEN SUADÆ refrixit.

Ita LECHICI quoque SALOMONIS Thronum,

sine Leonibus fundari non licuit, d.

cui Gentilitius ille, qui pro SRZENIAVIJS excubat Armis,

Astes & Assecla fuit e.

Securè dehinc reclinis Majestas in GEORGIUM incubuit,

Cujus secundo Amne ad summum pro vecta est.

Totum

d. Structuram Throni hujus habemus 3. Reg. 10.

e. Supra Galeam stemmatis Srzeniava est Leo.

Totum licet Æolus
 Miscendo Cœlo nostro immiserit Antrum,
 sub hoc Typhi ^{f.} non fluctuavit Reipub. Navis,
 & inter adversantium concursus Ventorum,
 Majorem Cæsare vexit
 SERENISSIMUM REGEM ejusque Fortunam.
 Deploranda fors Mithridatis,
 qui Fidei humanæ egens,
 ad ferarum coactus est recurrere fatellitiam;
 ac Equo, Tauro, Cervoque Excubitoribus,
 trepidos somnos munire. ^{g.}
 Ut in partem humanæ sollicitudinis
 succederent Feræ, quem Effera hominum
 Malitia exuisset.

*Tuto se Dormire Serenissimus Rex
 cum PHILIPPO jactabat MACEDONE,
 quando talis pro illo vigilaret Antipater, ^{h.}
 quem sola somnij soror consopire posset?
 Est hæc Magna Felicitatis Magnæ Infelicitas,
 quòd tametsi numerosæ postibus Principum accumbent turmæ,
 Fortunam tamen ipsorum magis observant quam DEOS:
 Solsequia illa Versis Vultibus serenum duntaxat
 prospiciunt & adorant Phœbum.
 Rari in Aulis Zopiri, Plures Democles;
 noxia sanè hominum colluvies,
 quæ licet unam tantum sequitur Fortunam,
 utramque tamen adfligit:
 Prosperam molli palpo enervat,
 Adversam Transfugio aggravat.
 Posse in unius Annuli Palam,*

Bonos

^{f.} Typhis Navarchus Argonautarum. ^{g.} Ælian:
 lib. 7. Cap. 66. ^{h.} Plutar. in Philippo.

Bonos includi ac digeri Principes
vulgavit quispiam.

Bonis Principum fidisq̄ue affectis,
amplissimum vel gemma dabit spatium.

*Adeò in summa omnium abundantia,
grandis unius sinceritatis inopia est!*

Didicit id, Exemploq̄ue simul docuit suo,

SERENISSIMUS CASIMIRUS

qui incumbente vi **SUETICA** sensit.

*Multis tam diu secum bene convenisse,
quam diu sibi cum Felicitate convenerat.*

Ubi circumactus est Fortunæ Orbis

*Primo statim impetu excussi Ixionijⁱ
(prout vocabat Heliogabalus) Amici.*

Utpote Levissimæ Deæ leviter coherentes.

Non ea **LUBOMIRSCIJ** Mens,

qui *Fidei & Reverentiæ* tenax,

nullo involvi potuit Casu adeò Miro,

ut Politicâ Apostasiâ

deficeret à **SERENISSIMO CASIMIRO.**

Alios ferme omnes Aurum vel Ferrum,

SUETICUM aliorsum distraxit;

GEORGIUS utrique impervius,

Desertæ ab omnibus sicut convixerat,

ita commori fixum habuit Majestati.

Glorietur XERXES se captivo

compedes injecisse HELLESPONTO;

& serviles flagris incussisse Vibices ac Notas.

Consciens Libertatis suæ SRZENIAVA,

etiam ad Aurea SUECI exhoruit Vincla,

ac fo-

ⁱ. Lampridius in Heliogabalo.

ac solus inter Fercula Gothici
 non illatus Triumphi,
 superbam Trophæi illius confudit Pompam.
 Advinxerit licet Glaciali torpore pluriū animos,
 Frigidus ille Aquilo,
 Gentilitium GEORGIJ FLUMEN,
 nullo retinaculo aut obice
 Rector semper explicuit Cursus,
 donec Prono alueo *Regiam*
 in tutum exponeret *Fortunam*.
Atque in hoc FLUMINE Fatalem
reperit scopulum Felicitas SVETICA,
quæ plenis totâ Poloniâ fluitans velis,
hic tandem naufragavit.
 Præfagium cladis in ipso Limine
 idem dedit SRZENIAVA,
 qui solitum intumescens,
 cum arma SVETICA in medio Victoriarum Cursu,
 ad ripam stitisset suam.
 immisâ deinde eluvie,
 retrocedere ac in seipsa collidi fecit.
 Sequuta mox Rerum Hominumque Conversio:
 & Legiones POLONÆ
 quæ sacramento Hostili Dextras polluerant,
 easdem Hostili cruore expiârunt:
 Ita suum iterum occupat Thronum
 Redux SERENISSIMUS CASIMIRUS.
 nullo deinceps Casuum metu,
 contra quorum impetum
 GEORGIUS Potens Fulcrum
 ex aggestu hostilium cadaverum substruxisset.

*Trans paruit tunc MAJESTATI in UNDIS SRZENIAVIJS
 & Fortuna sua & Fortitudo LUBO MIRSCIA,
 cui tantum detulit, ut cum illo Belli Dubia,
 cum illo Pacis certa posthæc conferret,
 & quidem Felici semper Confiliorum eventu;
 namque hic ut non semper jucunda ac Læta
 ita nunquam Læfura suasit,
 Sed ea,
 quæ tametsi aliquando non accederent ad vota Principis,
 redundarent tamen in Gloriam
 & Perennitatem Principatûs.
 Cætera (quæ feralis jecit Erynnis)
 Plangi justius possunt quàm tangi,
 Malus tamen Naturæ interpres fuit,
 qui SERENISSIMO Regali JUNCO ^{k.}
 à SRZENIAVA timuit Innoxio.
 Alitur ille limpido Fluminum, non Tollitur,
 & AMNIS iste, ad Pedes MAJESTATIS
 omni Vorticum suorum Officiositate,
 FORTVNATISSIMUM MANIPULUM.
 Non modò vigilans,
 sed per somnum quoq; cum JOSEPHO ADORAVIT. ^{l.}*



**INSCRIPTIO VI.
 ADMIRANDÆ PRUDENTIÆ.**



*Cribimus in Hoc Marmore Læsi:
 Sub quo rapta de LUBOMIRSCIO spolia,
 & No-*

*k. Stemma Serenissimi Regis Manipulus Junceus
 l. Genesis 37. refertur somnium Josephi.*

& Nostra Solatia inimica mors contumulat.
Trahim' sepulchralia saxa in Planctuū societate,
quæ Plangendi Nobis imposuere Necessitatem.

Audiant Sæcula adgements Casibus nostris Rupes,

Ad quorum flebilem memoriam,

siquidem ingrata homines tenent silentia,

LAPIDES^m. CLAMABUNT

Olympiamⁿ. Porticum in hac Funebri specu

habitura est Posteritas,

quæ in LECHICOS numerosa Luctus, repetito gemitu,

venturas admonebit Ætates,

Quàm difficile sit imponere Finem Dolori,

ad Fatalem Heroum Finem,

recentia semper incrementa sument

Diariæ sint eorum Complorationes

quos suæ insepultos casæ,

vixisse demùm vix ultimus cum offeruntur monstrat Dies,

Illustres Viros, quorum Vita Gestorū Claritudine

ad sæculorum propagata est memoriam,

Propagatus tractu sæculorum excipit Dolor.

O MAGNE GEORGI,

Tu quidem projectâ Mortalitate, ad Interminabilem Vitam,

per caducæ Vitæ transisti Terminum;

Ast Nobis ab hac ultimâ Periodo,

novum sumitur Fletuum initium;

& in Vitæ Tuæ Epilogo.

Exordium auspicamur diurnâ

Confirmatione texendus Patriæ Mæror.

Videt illa nunc Damna sua, dum Te non videt:

& detractos non temerè sibi computat annos,

quos

m. Christi verba Luc. 19.

n. Dicta heptaphonor quia sephis reddebant vocem Plin. l. 30. c. 1.

quos Propera mors imminuit Tibi.

Adeo nec vivere sine Patria,

nec mori sine vulnere Patriæ potuisti!

Quantos illa Casus innoxio ictu excepit,

dum vivente LUBOMIRSCIO?

sub *Aiacis* hujus *Clypeo* secura duravit?

Mare quondam commissas sibi ex Oraculo APOLLINIS,

in Ligneis Domibus servavit. o. Athenas

Fateatur Polonia,

nisi salutem suam SRZENIAVÆ commisisset,

Tot Hostibus faces undique subijcientibus,

in Cinere pridem & favilla subsedisset.

Non solæ incumbentia Mala

sustinent ac sistunt Bellatricis Manus;

Mens plerumque & Ratio certius rapidum

eorum tardat & suspendit Impetum,

ac plura Consilium quàm vis cæcumque Robur peregit.

Comperta Tibi loquimur ô SARMATIA.

cujus geminos Exercitus cum uno Tempore,

ad ZBARASSIUM & ZBOROVIAM, connexa

rebellibus COSACIS SCYTHICA colluvies,

circumfudit & obsedit,

Dexteritas LUBOMIRSCIJ sine Armis & sanguine,

utrumque explicuit & exemit.

Civicam meruisse GEORGIUM ecquis ambiget?

Tot Civibus quos Fata,

aut Lora SCYTHICA manebant servatis!

MERCURIJ non MARSCALCI

Caduceum habuisse crediderim LUBOMIRSCIUM

cujus Virtute, Vigilibus Argis undiquaque observantibus

feliciter

felicius salutem Publicam,
quàm olim CILLENIVS Fabulosam Jo, p. periculo subduxerit.

Erant tunc nonnulli Honesta,
eadem Consilia quæ Tutarati,
qui intempestæ securitatis provisu,
securitatem simul, & præsentis Majestatis
Honorem corrumpebant,
Corpus Exercitûs Hosti obijci,
& Regale interim Caput
Discrimini subduci suadentes:

Callidâ sed sine circumspèctione Prudentiâ!

quasi aliud vel ad mundam Cæsari
pænè jam profligato Exercitu saluti fuerit,
quàm ipse in primam aciem progressus Cæsar: q.
vel ad PHILIPPVS BRUTI,
in PHARSALICA pugnâ POMPEIJ partibus, r.
exitium maturâverit

quàm Dux præproperè absens vel cadens.

Non passus est Acephalum relinqui Exercitum,
ac Vires ejus per segmina discindi GEORGIUS,
quæ cum æquè sustinerent Hostem collectæ,
quomodo suffecisset incumbenti dispersitæ?

Unde stratos per uia Locorum,
Evasioni ane Fugæ? Pontes,
jussu GEORGIJ toties Nox conscia rescidit,
quoties Trepidus Dies combinavit.

Invenit posthæc aliud Frangendi Hostis Genus,
Lingua SCRTHAS aggressus non Dexterâ,
Eloquio non Prælio.

I

Dixisses

p. Fabulam habet Ovid. lib. 1. Metam: q. Suetonius in Casare Julio.
r. Idem ibidem.

*Dixisses Gallicanum iterùm Herculem catenatos
ab ore suo trahere Barbaros, f.*
*Ita facile aureâ GEORGIJ victi & vincti Facundiâ,
positis odijs Amicas junxere Dextras,
quas contra arma verant.*

Vidimus illâ Expeditione,
in uno SRZENIAVA conjuncta Duorum
ad ORGHOMENON^c Fontium,
quorum alter Memoriam medetur,
altero eam corrumpente.

Siquidem dexterrimè,
dum MAGNO TARTARORUM CHAMO,
repetit Memoriam acceptorum,
à PATRE SUO Beneficiorum
induxit Oblivionem Recentium Odiorum.

*Quis Tibi tunc Sensus POLONIA,
cùm debellatum unius ore cerneres?
& de Feroci CHMIELNICIO,
utroq; ad pedes Majestatis debito
quem Ingenij non gladij,
acies captum stitisset, Triumphares?
Novus hic Triumphalibus Insignijs Decor accrescit,
sine Sanguine Bellare.*

Sequitæ sunt plures ejusmodi GEORGII victoriæ,
procul cæde & sanguine,
*in quibus CONSO^u præripiente Palmam MARTI
duci se passa est à Ratione FORTUNA, ut pote cæca.*
Hærent adhuc ZUANECENSIUM Castrorū vestigia,
primis quidem successibus felicia,

ast

f. Alciati symbolum. c. De his fontibus Plinius lib. 11. c. 2. u. Consus
antiquis dictus Deus consiliorum.

ast ubi intus *Fames & Morbus*,
extra *Hostis* toto volitans campo compressisset,
pænè supremis admota & confinia.

Parva tunc Nobis in Manu Spes,
cui penuriâ annonæ *Enervi* ac invalidæ,
tot circum instabant Manus.

Ad solita solitæ Prudentiæ recurrit subsidia *GEORGIUS*,
& alijs viam ferro pandendam,
alijs tacitam per confinia.

MOLDAVIÆ ac *TRANSYLVANIÆ*
secessionem *SERENISSIMO REGI* suadentibus,
solus hinc *Furtiva*,
inde sanguinaria *Consilia* dissipavit.

Optimè volatiles SCYTHARUM impetus

Morâ obtundi lentescereque docens,

ac *felici demùm eventu* probans.

Quid *SUETICA* memorem?

Utpote *cauto Hosti* summo libramine tentata,

nec nisi pari cautelâ ac *Provisione* depulsa?

Patere solet insidijs Virtus, qua se nimio ardori permisit;

ac sæpius sanguinem litat suum,

dum a vidè haurire properat alienum.

Illâ certissima est,

quæ se diu multumque circumspexit, & *rexit*,

ac ex *Lento* destinatoque *provexit* x.

Namque Animus Vereri qui scit, scit *Tutò* aggredi.

Quanta *Damna* Nobis dedit *maiore Ferociâ*,
quàm *Providètia* in *SUECUM* incurfans *Fortitudo*?

Hanc LUBOMIRSCIUS, quia *Ratione* restrinxit,

Fundamenta victoriæ

provi-

providendo ne vinci possemus stabilivit.
Timuit FABIUM y hunc Notus per clades nostras WIRTIUS,
 qui nullo ad mænia CRACOVIAE
 quam obsederat assultu,
 spectando Hostem pœnè expugnavit,
 dumque Copiam sui & Pugnae non facit,
 ad extremam Inopiam,
 clausum marcentemque redegit.
Sed erat in Fatis ut nobilius de SUECO,
 LUBOMIRSCIUS triumpharet.
cui auxilio veniens RAKOCIUS
dum hærentem in manibus victoriam GEORGIO extorquet,
geminavit,
Auctarium factus cladis, quam depellere festinabat.
 Novus ille fuit, sed *(quia ex utriusque Palladis dictamine)*
 Felix, Bellandi modus,
 Cædere sine Pugna, ferire sine manu,
 Pedibus Victoriam decerpere,
 Fuga Hostem immotum defigere,
 & inaudito hætenus choragio,
 præire per totam POLONIAM
 circumductis TRANSSEYLVANIS
 Ut numerofo interim tripudio,
 ad Tumulum subsilirent.
Hæc Magnæ Tuæ inventa sunt Mentis,
 Maxime GEORGI
cui non accessit ad Genium, Laurus pressâ manu Prensa,
nisi in viso hætenus genere, declinando Victoriam occupasses.
 Gloriæ huic nemo quidquam abradere poterit,
 quæ tota Tua est,

ab

ab animo, non adventitijs Fortunæ,
vel armorum adminiculis profecta.
Dividunt cum alijs Ducibus Triumphos,
& Miles, & Locus, & Castrensis apparatus,
& quæ maximè in rebus dominatur Bellicis,
Fortuna.

*Tibi Tuæ ex integro soli debentur Victoriæ,
ante cujus sapientissimum Caput,
toties ferocia Hostium, Arete magis
quàm Acinace submissa, procubuère Capita.*
Nec verò inter Arma solùm & Clypeos refractus,
effulsit GEORGIANÆ
Prudentiæ splendor;
Pax etiam hâc Luce usâ,
debere se LUBOMIRSCIO facta est,
quòd sæpiùs,
inter humanæ Vicissitudinis ambigua,
non impingerit.
*Illo certè in corpore (liceat verbis uti Taciti)
decus omne Sarmatarum
Illius consilijs gesta, quæ prosperè ceciderant.
Plura secutura etas dicet, subductis procul amore ac odio.
Illud constat,
dum momenta curarum publicarum versaret GEORGIUS,
Multa esse ab illo providè & feliciter.
sine illo, rarò quid eximij gestum.*



INSCRIPTIO VII.

FORTITUDINI BELLICÆ ET PALMIS SVETICIS.



Ivere in sepulchro extinctum posse solem,
 ille solus posthumâ
 repræsentatione docuit, ^{z.}
 qui eundem ad cognatæ quondam
 noctis sepulchrum properantem,
 Voce retraxit ac stitit.

Nobis postquã in hoc sarcophago semel occidit,
 Nonnisi in altero Æternitatis Horizonte,
 radios explicabit.

*Lucem tamen ejus ex umbrâ disce
 quæ in totũ projecta Regnũ, Cuncta lugubri Horrore atravit.*

Solos Patriæ Hostes mulcere poterit,

• Fatalis umbræ opportunitas,

Molitura iterum tortuosos

in exitium ejus PYTHONAS ^{a.}

PHÆBO Domitore sublato, ejusque metu.

*Fuerit sanè occulta Clavæ HERCULEÆ Potentia,
 quòd Foro Boario ROMÆ infossa, Canes procul abegerit*

Pavorem procul dubio afflante Pavoris Fabro,

Pallentis Erebi Domino. ^{b.}

Confepulta LUBOMIRSGIO Ducalis

quam tenebat Clava,

nullas hodie percellit Belluas,

quibus olim inter Bella Felicia,

mutuenda imminebat.

Præter-

^{z.} In Josue monumento sol fuit effectus. *Caus. lib. 1. symb. 4.* ^{a.} De Pythonæ serpente à Phæbo confixo habet Ovid. *Metam. l.* De hoc Solinas initio Polibist.

Præteriêre Tempora ;

*quando LUBOMIRSCIUM in Campum progressum
sparsa per Gentes antecedebat Formido,
quia associata Campi Dominæ Fortune
Comitabatur eundem Fortitudo.*

Præteriêre ; quando Tela ejus,
Romuleis æmulo insigniabantur ostento, ^{c.}
Ut in Hostes emissa,
pariter ac Quirini Venabulum Apro incussum,
redirent Laureata.

Nunc eheu ! LEONI SRZENIAVIANO mortuo,
Vel ipsi impunè insultant Lepores ^{d.}
Posteaquam parvâ tegitur scrobe,
qui numerosis Triumphis,
toto inclytus ferebatur Orbe.

Vana ATHENARUM jactantia !

*Victoriam sibi in Simulachro quod sacra verant,
Demptis alis effingentium ; ^{c.}*

quasi alibi Volatilis,

ATHENIS DEA hæc facta esset stataria ;
Vagosque perosa excursus,
ubi primum Jus tantæ Civitatis adisset,
Ventosa statim Talaria exuisset.

Quisquis LUBOMIRSCIUM spectavit,
Bella & Arma,

per Nativas Exterasque terras circumferentem,
Implumem Victoriam inter Tabulas reputare desijt.

*Quæ sub tanti Ducis signis, Pedes sæpè visa est merere,
Ut pote indivisa Expeditionum ejus Pedissequa.*

Et

^{c.} Romuli venabulum floruit. SAVEDRA Sym. 37. ^{d.} In Galleæ stemmatis Srzenianaviani est Leo, quò spectitur Adagium. ^{c.} De hoc simulachro. CAUSIN:
lib. 2. symb: 65.

Et verò sunt etiam sua firmanda

VICTORIÆ retinacula,
ne proditoriâ illudat Defectione,
si nimirum firmis stringatur manibus.

*Rarò illa pedem referre novit, adjuncta Exercitui
pedem referre vel inter suprema discrimina nescio,
cogiturque ferme sepositâ levitate hæere in gradu,
quando Pedi Pes, densus hæret Viro Vir.*

Fuit hæc singularis LUBOMIRSCIJ Industria,
Scire Triumphali Fortunæ Pedicas innectere:

*Iisdem enim toties manibus nutantem corripuit,
quas profusione Munerum & Largitionum
ad fortia audenda incitavit.*

Non valuit intercedere sinister
Expeditionibus illius Casus,
qui mirâ Liberalitate,

Casibus Militum ac indigentia intercedens,
Sibi eos ac Patriæ contra omnes Casus Firmabat.

*Ecquis crederet Cotem Ferri esse Aurum?
nisi & olim APOLLO DELPHICUS Oraculo,
& LUBOMIRSCIUS facto probasset,
Omnia prona esse Exercitui. ad resolutum chalybis usum,
Hastis prius argenteis obarmato.*

*Hauriri alicubi ex Fonte Indico,
Fictilibus Aurum ETESIAS memorat,
sed Ferro mox consequente.*

An ut infatiabilis iterumque appetentis
situlæ Avaritiam castigaret!

An ut esse sibi Arcanum
cum Auro consensum ostenderet? f.

Vidistis,

Vidistis, dicam veriùs sensistis,
hæc Auri & Ferri simultanea
in Amne SRZENIAVIO
profluvia Acies POLONÆ;
toties per irrigui affluentiam
metalli ad Arma duratæ

*Ita nimirum providebat LUBO MIRSCIUS,
ut privata Militarium Manuum priùs remedium haberet;
quàm Campestris Conserendarum incumberet Necessitas g.*

Abscedat CALIGULA oneratas
Aureis panibus Mensas
ante suos referre fuetus Convivas.

Ostentationi facta Fercula,
irritamento fuère accumbentibus, non opsonio;
cum geminam accenderent esuriam,
nullam sedarent. ^{h.}

*Aurum LUBO MIRSCIJ per Mensas & Convivia Militaria,
presertim premente Commeatum penuria, sparsum,*

*Sicut abundè Omnium explebat famem,
ita ad Patientiam laborum nutriebat promptitudinem,
Et cum transfret in sanguinem vescentium
ardebat ad litandum sanguinem Hostium.*

*Non jam inter somnia computetur
eversa à Panibus GEDEONIS
adversorum castrorum Munitio ^{i.}*

Imperatoria LUBO MIRSCI
vigilantia eventu donavit,
quod somnus Gregariorum præfinxit;
quæ illectos Liberali Panum Copiâ Exercitus,
L ad

^{g.} Polonis pugna dicitur Potrzeba à necessitate bellandi. ^{h.} Suetonius in Vita
Caligula. 1. Judic: cap. 7.

ad fundendas hostiles copias, feliciter inescavit,
nullâ plerumque Vitæ Parsimoniâ,
ubi LUBOMIRSCIA accederet accēderetq; Profusio

• *Exhorruit ad novum Bellandi Genus,
Vetus licet Militia SUECUS;
quo Alimenta refingerentur in Armamenta,
Panēs transfrent in Panaceam,
etiam ad-versus vim hostis valituram,
eademq; fierent Cladium, quæ Commeatum Promptuaria.
Hac nimirum Arte vinci debuit, Simulationum Artifex
ut qui sub Protectionis velamine Hostem,
sub Oleæ fronde Martem POLONIÆ intulerat,
Prius sub Coronâ verum saligineâ, ^{k.}
quàm sub Hastâ venalis ac feriendus prostaret.*

Tentabat & ille ad parem
Liberalitatis assurgere Æmulationem,
Muneribus perrūpere conatus militares animos,
Terrore infractos.

Unde & stipendia dependit POLONIS Legionibus,
quæ contra se meruerant,
& præmijs mollire studuit

Dextras Tabum SUEVICUM anhelantes.
adeoque cum Martis subsidia deficerent

DITIS ^{l.} adminiculo,
ruentem in præceps Fortunam effulcire voluit.

*sed frustra Rapina specie Beneficentiæ sese venditabat;
cum Reddi sibi miles, non Dari sciret ea,
quæ Beneficij titulo spolia distribuebantur.*

Eò proinde alacrius Impulfore
GEORGIO in Hostem ruit,

quòd

k. Aurelianus Imp: Coronas ex Panibus confecit dictas saligineas. Vopiscus in
ejus Vita. l. Dis Deus divitiarum Antiquis dictus.

quòd is Damna Patriæ,
inter Dona sua numerare auderet
injurijs Publicis,
privatæ imaginem Liberalitatis assimulans.

Quantos movit Conatus

SUETICUS ille *Annibal* ut *LUBOMIRSCIO* potiretur,
gnarus post *CANNAS* etiam & *THRASIMENUM*,
parùm se ad summam profecisse *Victoriæ*,
Hoc SCIPIONE salvo,
& *Populum* mox ad *Pileum* vocaturo.

Benè non modò de *POLONIÆ*
sed *Orbis Imperio* sperare poteris

CAROLE GUSTAVE

si quemadmodum *Cæsar* tramisso *RUBICONE*

Sic Tu secundo usus *SRZENIAVA*

Fortunæ Tuæ Aleam jacere potuisses. ^{m.}

Sed enim *In caput alta*

priùs labentur ab æquore retro, Flumina ^{n.}

quàm *LUBOMIRSCIO* alterius *Domini Amor*,

Fide extortâ inferi posset.

Esse Fatales Regnorum in undis Periodos,

advertère plerique Regnorum Curiosi:

Ita *ROMANÆ Potentiæ Euphrates,*

PERSICÆ Tanais,

ASSYRIÆ Hellespontus Limes fuit,

Ultra quem progressi *Monarchæ,*

tristi semper exitu, castigatos ausus sensere ^{o.}

Licuerit *SUECO* toto errâsse mari,

ad *ALBIN, RHENUM, MOLDAVAM,*

Victricia explicuisse signa;

In

^{m.} *Cæsar orbis potiundi avidus transito Rubicone fluvio dixit. Facta est Alea.*
^{n.} *Versus Ovidij.* ^{o.} *Theatrum Historicum.*

In Ripa SRZENIAVÆ hæerere coactus,
invenit obstare Destinatis suis,
illum qui NEMINI CEDIT DEUM TERMINUM. P.

Et hic primus ad ruinam SUECI Gradus fuit,

Progredi nequisse:

nam orto à SRZENIAVA initio
alios quoque qui POLONIAM interfluunt Amnes,
in exitium sui conspirasse sensit,

pænè supremo SANUM
inter & VISTULAM involutus naufragio;
nisi traductis aliorum qui imminebant POLONIS,

ad majus Fortunæ Ludibrium
æmulus superbiæ XERXIS CAROLUS,
qui maria ad frena vocabat;

Angustias POLONÆ Propontidis,
indecorâ fugâ eluctari fineretur. q.

*Magno tamen illi constitit Liber Passus,
internecone quatuor millium lectissimi militis redemptus,*

quos ad VARCAM affecutus LUBOMIRSCIUS

VIDIT simul & VICIT

non priùs incumbentis GEORGIJ

quàm sui Exitij certos.

Adeò celeritate Famam præveniens

ad magni Exemplum,

nostr quoque ALEXANDER admiranda confecit

NIHIL PROCRASTINANDUM r.

Nesciuit tunc parcere sanguini suo, dum sitit hostilem:

& inter medios invehctus ignes,

cunctan-

p. Paradinus in symbolis. q. Xerxes victus à Grecis fugiens parvâ scapha
Hellepontum trajecit. Hendo lib. 8. r. Plutarchus.

cunctantibus sequi suis
 Metum exemit, cum vibrati ensis fulgore
 metum incussit.
 Cecidère præcipui Legionum, ac fermè omnes
 Ordinum Ductores,
 Paucis fulgâ elapsis
 Vt essent qui Gloriam GEORGIJ
 per Gentes circumferrent.
Inde Caput Belli & Regni petitur CRACOVI A;
Ubi commissa Virtuti Pertinacia,
diu dubitavit, cedere an cadere mallet.
 Intendebat Fastum VIRTIJ & viriû Conscientia,
 & priorum successuum Memoria,
 fixumq; illi aut eruptionibus atterere incautos,
 aut Morâ restinguere ardescents
 nostrorum impetus,
 quibus adversæ etiam hyemis rigor instaret.
Sed nihil tam arduum, quò virtus conniti non possit,
 Certus enim Campestem non deserere,
 nisi urbanâ captâ statione
 LUBOMIRCIUS,
 cum ipsius cœli inclementia fortiter prius,
 quàm cum abruptâ SVECI contumaciâ
 depugnavit,
 pressusq; atroci hyeme,
 premere clausum Manibus suis hostẽ non destitit;
 Glacialis in campo obsidionis solatia,
 ex multò diriore SVECORVM obsidione captans;
 Quos fames, Vigiliæ, Morbi, ita jam attenuârant,
 Ut parùm interesset Longâ tabe in Muro,

an honestâ Morte in Campo defungerentur.

*Extorseratq; Confessionem Victoria VIRTIO,
ad deditonem inclinato,*

Sed TRANSSYLVANIS in sua Fata ruentibus,
Muralem Coronam omitti placuit.
cùm Gramineam ferret RAKOCIUS,
Victori LUBOMIRSCIO Herbam
mox porrecturus.

*Nusquam deinde SVECIS quies, GEORGIO ubiq; obvio,
ubique consequente,*

*Quasi aliter SAROMATICIS campis,
LEO SVETICVS exigi nequiret,
nisi impatiens consortis LEO SRZENIAVIUS,
fugaturus Æmulum accurreret.*

Ad THORUNIUM pleraque dedit Magnanimi-
tatis Prodigia,
superato inprimis captoq; Fortalitio,
quod Mole suâ non modo animos tentantium,
sed oculos spectantium fatigabat,
Calcassetq; tumentem turribus suis superbiam
nisi metu vicinæ anxia ruinæ,
ultra properatâ deditone,
cedere tantæ Fortitudini, ne caderet, elegisset.
Felicius in Ferociam GRAUDENTI animadvertit
Ubi durata Arcto suâ SVECORUM obstinatio,
immissis ignibus,
cum mollescere nollet, Ardere coacta est.

*Non desistere ab attrahendo sanguisugas,
donec Cinere aspergantur,
tradidit GALENUS f.*

Credi-

Credimus experti: nam redactō in Favillam
GRAUDENTO.

Transmarinæ Hirundines,
quæ nostrum exfugerent sanguinem,
tum demum Natales Lacus circūspicere cepere.

Non multò post, SUECIAM conclamant;

• Undiq; enim prementibus malis,
& transportato in Fioniam Marte
subiit nausea Belli, quod per alieni appetentiam,
in Propriam refringerentur Jacturam.

Panguntur Æterna Fœdera GEDANI, eodem

GEORGIO Pacis sequestro,

qui Belli Arbitrator fuerat.

Atq; sic Plenis Velis repetunt Patriam SUECI

Crudeles terras & Littus avarum Perosi.

nusquam alias gratificante conatibus suis

SRZENIAVA,

nisi cùm abeuntes, placidè in suum,

Mare exponeret.

Subsiste hîc POLONIA;

& cùm Te Beneficio GEORGIJ, levatam adeo
gravi Pondere sentis,

quod nec Ferri toto Biennio poterat, nec auferri:

Depulsori Oneris Mærens apprecare ɔ.

SIT TIBI TERRA LEVIS



ɔ. hæc erat antiquorum apprecatio.

INSCRIPTIO VIII.
VICTORIÆ TRANSYLVANICÆ
DE RAKOCIO.



Uisquis hunc tumulum prætergrederis
Viator

Ne Totum in Urnâ require LUBOMIRSCIUM
Qui Meliore sui parte Æternitatem complexus,
Libero jam potitur Cœlo.

Illius Nomini claudi intra angustias unius
farcophagi nescio,
non modò per natales Campos, & Valles Memor
applaudit Echo:

fed *Carpathiæ* quoque *Rupes*,
ac *Gentilitij Rakocij Montes*,

repercusso ad Juga sua adsonant murmure.

Nequaquam solus intactos ventis, ac nimbis
Cineres conservat Olympus;

etiam in *Rakocianorum Fastigio Armorum*; a.

perennabit *LUBOMIRSCIJ Cinis*
clarissimè ad illos quos *Transylvaniæ* imisit Rogos,
Posteritati spectandus.

Non morituram ut habeant sæcula demortui
GEORGIJ notitiam,

Audietur diu *Vox Tonitruï ejus* (quo totam
Transylvaniam exterruit) in *Rota*. b.

Felicem Rakocium! si sese *Felicitati aliquantum subducens*,
primis ejus blanditijs credulam Mentem non laxasset.

Ade-

a. *Rakocius* utitur pro stemmate tribus montibus cum medietate *Rotæ*.

b. *Versus est Psalmi 76. quo alluditur ad Rotam Stemmatis.*

Aderat Domesticus in Insignibus Monitor,
Novi Imperij cupidine furentem
identidem Vellicans,
ut vertiginem propriæ Fortunæ,
vel in stemmate conspiceret,
qui ad impellendam alienam properaret.

*Sed raro sensum animi, Prosperitatis sensus non infregit;
& Vicissitudinis Humanae, nimia inter secunda Oblivio est.
Igitur nullâ præviâ Causâ, Indictione, Feciali,
Bella geri placuit Nullos habitura Triumphos.* c.

Infunduntur POLONIÆ coacti, ex partibus Pannoniæ,
Daciæ, Valachiæ Exercitus,
Hæresi ac Rebellionem Præeuntibus. d.

*Omne utique infausto;
nam altera Falsæ, altera Fallere doctæ fidei insueta,
Totam RAKOCIJ Fortunam,
Dubia (præsertim inclinatis rebus) suspendebant, Fide.*

Subijt misera POLONIA,
aleam & fortitiones TRANSYLVANI & SUECI
Prius dividi cœpta, quàm Cepta:
& vastas ambientium spes,
vanissimâ designatione implet;
*cum securi Præsentium, Improvidi Futurorum,
de Invadendo cogitarent omnes, nemo de evadendo.*

Quàm verè Lynceus ille Philosophus,
*Magna (inquit Fastigia, unicâ laborare veritatis inopia!
quæ sola omnia Possidentibus deest,
quia in illo adulantium certamine, una omnium contentio est,
quis blandissimè fallat.* c.

N

Nemo

c. Lucanus lib. 1. Pharsal. d. Hæretici & Rebelles Cosaci illum ducebant. e. Seneca. lib. 6. de Benef. Cap. 30.

Nemo tunc Ruenti in Arma RAKOCIO
habenas attraxit,
nemo Viciniæ Jura, Fœderis Religionem,
Martis inconstantiam, vindex læsæ Fidei Numē,
spe ac libidine dominandi raptato,
ante oculos stitit.

Cunctorū studia ad Manubias POLONIÆ ferebātur,
quæ eo solo nomine inter Belli Titulos prostabat
quia opportuna injuriæ,
compendio vinci posse credebatur,
intercessit tamen lymphatico

INVICTISSIMUS ROMANORUM IMPERATOR
Lege & arbitrio summæ Potestatis,
Intercessit LUBOMIRSCIUS
Jure Amicitie & sanguinis.

*Ille Majestatis Reverentiam subdito,
Hic belli iniqui exprobrationē & infamiã opposuit Fœdisfrago:
Magna utrinq; ad frenandos violentos spiritus momenta,
nisi le-vitas animi per inania præconcepti sceptri vagantis,
sub Rationum Pondere sidere detrectasset
datura mox Exemplum.*

*Quàm facile eliditur quod nullo Recti Fundamine,
quælibet aura perflat?*

*Nescia Mens hominum Fati, sortisq; futuræ
Et servare Modum rebus sublata secundis. ^{f.}*

Ecquid pronius RAKOCIO visum,
quàm desertæ insultare & Juga imponere
SARMATIÆ?

Sed timuit mox eos, quibus metuendus instabat,

& jam

*Et jam suæ Fortunæ anxius qui alienam dispensabat,
Didicit iisdem sæpè, casibus indui Mortales, quos
architectante Ambitione, alteri tetendissent.*

TIBI VERÒ VICTORIÆ ILLIUS MAXIMA,
SERVATÆ POLONIÆ pænè TOTA DEBETUR LAUS
INVICTISSIME IMPERATOR,
qui RAKOCIUM ad Imperia Contumacem,
armis ad obsequia revocasti.

Succurrit Cognatæ AQUILÆ,
Imperialis ALES TUA
præter ignes & Fulmina, solo Tanti Jovis nomine,
Hostibus formidata:

*ad cujus conspectum renovato Pompeij in Pharsalicis,
Eugenij in Alpibus prodigio, g.*

RAKOCIANÆ Aquilæ h. (nimirum conscientiam
subjectionis tactæ) sua Fulmina & Frameas projecere.
Felici Auspicio

*siquidem Æmulis Avibus abactis,
non diu post POLONÆ AQUILÆ
suus patuit Nidus. i.*

Aderat Moliminum Discriminumq; omnium
Comes subsequus LUBOMIRSCIVS
ereptam de SV ECO Victoriæ Gloriam
in sanguine TRANSYLVANI quæsiturus.
Quem Mole, non ratione ad Bella ruentem
ita flexuosis SRZENIAVÆ suæ implicuit Mæandris
ut ferò tandem adverteret,
novi Dædali arte, novum sibi structū labyrinthū,

in

g. In pugna Cesaris cum Pompejo, & Theodosij cum Eugenio Aquila Legionum
fulmina aurea excussere. h. Stemma Rakocij Aquila cum framea. i. Post abi-
tum Præsidiij Rakocij recepta Cracovia.

in quo SCYTICI demum explere Riētus
coactus est Minotauri. ^{k.}

Ignorantiā tamen peccāsse videri non potuit

quia Mirā GEORGIJ solertiā

per omnes circumductus Provincias,

notitiā POLONIÆ hausit

Et lustravit coram Amplitudinem Regni,

quod habere poterat,

nisi habere magis, quam expectare præoptasset.

Interim cum in alieno Theatro vagus oberrat

in propria Orchestrâ longè aliam scenam

instructam sibi audit,

Adornante eodem GEORGIO

qui magnis itineribus in

TRANSYLVANIAM contendens,

Novo Paridi Amoribus nostræ Helenæ ardescenti

ad continuos Ignes suam Trojam lufit. ^{l.}

Miratus est in suo Regno,

non sua Bacchantium Agmina, Liber Pater,

Tela ac Contos, non Hederas aut

Thyrfos quatientia. ^{m.}

Tremuit ad fragorem Cornuum, quæ flebile VÆ,

non Furiale EVOE insonarent,

Fugit Mens & Ratio, utramq; fugare fueto;

& Marcidi Veterno Oculi ad circumjectæ

flammæ incendia,

Palpitantem aciem subduxere.

Unde Magnitudini cladis, ac Mærore, attonitus,

detonsis per omnes Vineas Frondibus

Lugen-

^{k.} Ovid: lib. 8. Metam. 1. tangitur Historia trita de Troja excidio. ^{m.} in
sacris Bacchi acclamabatur Evoë Bache.

Lugentium habitu Comas submisit.
Aureos aliquando è Vitibus Botros,
Soli Bonitas in TRANSYLVANIA tulit,
Solis Benignitas elicuit,
redacta per LUBOMIRSCIUM in Cineres
Aurifera gleba,
Diu memor erit
illius adhuc, quâ Temeritas castigata est,
favillæ.

Ita nimirum decuit,
Ut cum Avaræ Gentis Perfidiæ,
Piaculari flammâ domat ac eluit,
Valituram ad Posteritatis cautelam,
in iisdem Ignibus fundaret Pharon,
nè deinceps unquam TRANSYLVANIA à Fide
& Pactorum religione deerraret.

Excivit Fumantis Patriæ nidor RAKOCIUM,
Ut in Auxilium celeraret,
quo ipse mox circumventus egeret.
Rapidus dolore irâq; amens Exercitum,
LUBOMIRSCIO intercipiendo,
per Avia confragosaq; Montium opponendum,
paulò post in plano ac propatulo camporum,
feliciori astu ab eodem Interceptus.

Major Humanâ Vis illa Visa est!
quâ LUBOMIRSCIUS TRANSYLVANORUM simul, &
Naturæ Victor,
Montium Claustra,
& incubantem Claustris hostem perrupit;

Obstantemq; regressui Naturam, in triumpho
Pompam traduxit.

*Merito concidit RAKOCIO Animus, Carpatho suo minor,
Etiam inde Elationi suæ timere cepit,
ex quo Elatissimos Rupium vertices calcari Lubomirscio
sensit.*

Vix credet sequutura Ætas,
quod factum spectavimus,
Ut exhaustæ viarum præliorumq; incommodis
Legiones nostræ, integrum ac virium
Virorumque recentem RAKOCIUM, medio
Camporum in æquore obsiderent.

Ægrè post tot iactationes trahebant Vitam,
& mirâ Virtutis pertinaciâ urgebant victoriam.:

Arma, Equos, Castrensem apparatus,
& mutilata plerique membra amiserant,
Animos tamen animarum & vitæ prodigos
retinebant.

*Quid ageret Rakocius undiq; circumscriptus?
& POLONIÆ quam temere præsumpserat,
& TRANSYLVANIÆ quam sibi negari cernebat,
pariter Impos.*

*Urebatur iam Regni Fastidio,
ad cuius nuper anhelabat Fastigium,
Territus novo Inthronizationis genere,
quo solij Possessio Vitæ non Pedum Positione adiretur. n.*

*Damnabat avidam Sceptri Manum,
quæ improvisæ laniens, tam validam objecisset Manum.*

*Trepido, ac extrema circumspicienti,
opportunos ad levandam spem occurrit, Idem*

n. Juristis, Possessio dicitur quasi Pedum positio.

Idem ille qui præter spem ad castigandã Perfidiã occurrerat,
LUBOMIRSCIUS.

In illius AMNEM iacit Fiduciæ, salutisq̃ suæ
Anchoras,

Et viso supernè in Armis SRZENIAVIIS
Magnanimo Leone,

Finem atrocis Pugnæ postulat,
Prostrato jam totius Exercitûs Corpore. °

Dedit non gravatè vitam & veniam supplici
LOBO MIRSCIUS.

Gloriosius ratus servare, quàm sævire.

Poterat cum Themistocle tripudians dicere RAKOCIVS,
Perieramus nisi Perijssimus : P.

Dum enim Felici Gladio LUBOMIRSCIJ,
jam non Tumentia Colla submisit,
Solo Fastu defecto, crudelem *Scytharum* Gladium,
cætera innoxius evasit.

Cessit tamen in direptionem Barbaris,
reliquus cum JANUSSIO KEMENI Ductore
Exercitus,

Ut Orbi pateret,
Quantùm interfit à Moderato vel Efferato
Victore Vinci.

Major inde GEORGIO Gloria per Antiperistasiim
Immanitatis Scythicæ intensa,
quæ vel eo Nomine, Nomen ejus Æternùm vivere faciet,

Quod Vitam Hosti,
quam suo amiserat Merito,
Clementiæ restituit Beneficio.

In-

°. alluditur ad versum Corpora Magnanimo satis est prostrasse Leonis.
p. Plutarchus in Themistocle.

INSCRIPTIO IX.

VICTORIÆ MOSCOVITICÆ DE SZEREMTHO.



*Ad Fretum Gaditanum Hercules, ad Borysthenis
Odereæq; ripas q.*

Boleslaus Chrobrius.

Nos in continenti Srzeniavæ, Columnas figimus.

Non illis, Ægyptiacæ sapientiæ mysteria,
per magicas animalium figuras
deducta incidimus. Quia *Vniûs Draconis* catenata
(quam spectas viator) effigies.

Ænygma dabit sæculis,
multos olim fugaturum Œdipos.

*In vexit Æthiæ r. inter trophæa Victoriæ,
gementem sub Vinculis Crocodilum Augustus,
Superbi adjectione Tituli. Nulli antè ligatum. gloriatus.*

*Draconi ferrum compedesue inditos,
vidit & credet nemo.*

Nisi cui fatale domandis Draconibus Georgij
Nomen insonuit.

*Delineasse fatum suum, præ sagam jam olim crediderim
Moscoviam,*

Cum per Arma & Insignia,

*ad volutum ei Diuo Draconem f. circumtulit,
Ante cuius triumphale Nomen in LUBO MIRSCIO,
ipsamet Gentilitij
interpreter stemmatis procubuit.*

Sic

q. Cromer, Guagninus, & alij de rebus Polonia. r. Theatrum Historicum.
f. Stemma Moscovia est, eques Draconem fodiens.

*Sic nimirum ruere necesse est, quidquid nimietate Votorum,
modum exijt.*

*Incumbit sibi ipsi luxurians fortuna, :
quam, vastus animus, dum sine mensura ac tempore,
in immodicas spes attollit, prosternit.*

Ecquid ad Gloriã affluentiamq; deerat Moscho,
longe pacis bonis innutrito,
Si mens non defuisset?

Hanc cum fastidiosa præsentium,
anxia futurorum, Ambitio excussit,
Tantam fortunam, caeca fortunæ cupidinè pervertit.
Nullo ille Armatus Jure, nullâ Arctatus injuriã,
distrinxit ferrum, infuditq; POLONIÆ Exercitus,
Solam libidinem Dominandi, in causam traducens Bellandi.

Aberant Legiones Nostræ,
circa ultima Balthici Maris littora,
cum SVETICO BOREA luçtantes;
Fruitur hac absentiã, in sua compendia
SZEREMETUS,

In vacuo letus Sessor Plausorq; Theatro
Dispensat securum, per inanem Militis
Sarmatiam, Fastum,
nescius quòd eam mox succurrente VACUO SUO,
gentis NATURA, cladibus expleret.

*Quàm benè dispositum Terris, ut dignus iniqui
Fructus Consilij Primis Auctoribus instet.* u.

SZEREMETVS ille tanti Potissimus Incentor
Faxque Belli

Qui LX. Millium ferox Exercitu,
SARMATICVM Cælo suo,

P

novus

novus Enceladus, detrahere nitebatur JOVEM.
Versâ aleâ, Castris demùm suis turpiter
Extractus est.

idcircò tantam duxisse visus MANUM,
Vt plures essent, qui barbaras Manicas,
loraque implerent.

*Promovit ingentia per campos UKRAINÆ Castra,
Sed iisdem Clausus, Gradu deinde, Gloria,
Libertate Motus est.*

*Explicuit acies; sed in æquatâ Planitie Implicitum se fatali
errore Gemit.*

Non omnis Fert omnia Tellus:

Sensimus, nam feminati à MOSCHOVITICO CADMO,
DRACONIS sui dentes ^{x.}

malè subactæ in gleba UKRAINÆ:

Licet primâ facie densis inhoruerint sarissis,
extremo tamen partu in stragem desiêre.

Impia femina dedignatus felicitis POLONIÆ fulcus,
cùm ferre non posset, sustulit.

*Primus, ad quem superbia SZEREMETI in Plano impegit,
scopulus, ad LUBARTOVIAM occurrit:*

ubi interfuso LVBOMIRSGIANI AMNIS tardatus
obice, inter cadendi numeravit Primordia,
quòd sua ad Perspicuum SRZENIAVÆ Fluentum,
transparuerint Confilia.

Nimirum Technas hostis deprehendisse, Hostem vicisse est:

*Perdunt semper prolata in apricum Molimina stimulos,
quos occulta conceperant,*

*Et compendio, ac quasi sine Sensu,
totam Inimici Potentiam eviscerat,*

quisquis

*quisquis agenda inimico Presentiens,
Viscerum ejus recessus irrumpit ac penetrat.*

Destinaverat SZEREMETVS, factò in intima Regni
impetu, distringere incendijs POLONIAM,
tantò latius terrorem prolaturus & cladem,
quantò secretiùs ex improvìso incumberet.

Jam non *Borysthenem* modò & *Tyram*
sed *Vandalum* & ipsos *Balthici Maris* gurgites,
Arente suspirabat Rictu.

*sensit tantos, & statim superfuso hereditario Latice
restrinxit Ardores LVBO MIRSCIVS;*

*Vltròq; anhelanti obvius, dum Regna sitit,
excidia propinavit:*

ac ne inutili deinceps ureretur æstu,
à fatali gelu (quo magna pars MOSCHOVITICI
Exercitûs intercepta dirigit) Antidotum
febricitanti providit.

Recurrerebat illi quidem per intervalla Mens,
quam Malignæ cupiditatis ardor perverterat;
postquam ad LUBARTOVIAM obsessus, Diætâ,

Victûsq; angustîâ ad saniora disponi cepit:
sed vis illa Ambitiosi æstûs, Missione sanguinis,
è toto Exercitus Corpore, pleniùs curari debuit,

ac furens Vanissimæ Mentis errore Hostis,
fucto demùm Phreneticorum remedio,
Vinclis SCYTHICIS cóercitus est.

*Quanta illa vel Fiducia audentium,
vel Constantia urgentium POLONORUM fuit?
cùm pauci numeroq; impares, ultrò lacefferent,
& coangustarent, ingentes illas MOSCHORUM copias,
Copiam*

*Copiam sui ac Prælij, & recordi consternatione facere
detrectantes?*

*Campestres dici benè SARMATA S tunc patuit, y.
qui toto volitantes, Campo, totum Campum, fugæ intento
rapuère SZEREMETO.*

Promoverat aliquantum itineris,
Rotatili curruum intectus vallo,
Verùm fuisset tardatus Cadaveribus,
cùm Trepidæ diverticula viæ,
Jacturâ constarent vitæ;

Hæsit secundis Castris ad CUDNOVIAM
extemporario obductus Munimento,
Ut sæpiùs obsideretur.

*Ita videlicet decuit, multiplici priùs carcere includi Perfidiã,
antequam in Arenam producta ac plexa,
meritas scelerum pænas daret.*

Affulsit interim ultima operienti modicum,
ast fallacis spei solatium,

CHMIELNICIO cum XL. Millibus COSACORUM
in auxilium properante, nec longè dissito.

Surrigere inde Cristas, attollere animos,
POLONOS obsidentes vanissimo spiritu difflare,
*Æquè in tentorio ante pugnam Tumidus,
ac in Prælio collatis Signis Timidus.*

Tentavit & Irruptionem,
ut vel Sociatis CHMIELNICIO armis & animis,
imminens Fatum depelleret,
vel morte semel aditâ,
assiduum Mortis Horrorem finiret.

Sed

y. Poloni nativâ lingua dicuntur à Campo.

Sed iterum ad Castrense compactus ergastulum,
supremum ictum diutius expectare debuit,
Ut se Perire, gravius ipsa Pereundi morâ, sentiret.
Nec Benignior COSACIS adplausit Fortuna,
quibus præter opinionem inductus,
cum parte Legionum LUBOMIRSCIUS
Alienæ salutis curam, propiore periculo ad
tuendam propriam divertit.

*Reproductum mirâ virtutis arte crederes LUBOMIRSCIUM,
cùm simul & SZEREMETUM ad CUDNOVIAM ingenio,
& CHMIELNICIUM ad SLOBODISZCZE manu,
fortiq; brachio distineret ac frenaret.*

*Tam Diversus in Vno! tam Vnus in premendis Hostibus
diversis!*

Perculit inaudita hæc virtus COSACOS,
Mentemq; omnem exemit attonitis,
Imperterritæ Mentis admiratio.

Tepefcere sensim in illis MOSCHORUM Amor,
ad privatæ conservationis Amorem, discriminis
admonitu Reflexus. nec tanti jam haberi
SZEREMETI Fata, ut Fatis ea suis pelli delectaret.

Advolvuntur veniæ supplices, pedibus victoris
LUBOMIRSCIJ, Paciscuntur, sacramentum dicunt;
ejuratâq; Perfidiâ, Arma quæ MOSCHO
militaverant, in MOSCHUM transferunt;
Pari impetu properantes eundem Perdere,
atq; ardebant, ne paterentur Perire.

Quid hæres adhuc truncata suppetiis omnibus Superbia?

*& Pervicacem retines furorem,
quæ Tuismet Vincita Castris Teneris?*

Q

Placuit

Placuit MOSCHIS residuos ad supremam agoniam
 (fucto Morituris luctamine) colligere spiritus,
 ut expromptâ in unius Pugnæ aleam,
 totius roboris ferociâ,
 aut non inultâ Morte Miseriam obsidionis
 Effugerent, aut virtute Effugarent.
Prorumpunt, incurfant, Gradum ferrumq; densant,
per nostra Exitia, Exitum malis quæsituri.
 Jamq; dimidium Leucæ spissatâ Carragine tuti
 confecerant,
 cùm incumbentibus undique POLONIS
 (qui novissimus Violentæ contentionis
 languor est) animo & viribus concidère.
 Iterum comportant aggeres, digerunt fossas,
 Metantur Propugnacula,
 & qui Causæ defecerant Merito,
 solâ se tutari conantur Morâ & Loco.
O quàm indivisus Perfidis instat Tortor Metus!
contra quem tot claustris frustra incingi studuit,
Fœderum Ruptor MOSCHVS,
Semper trepidus, quia semper periurij Reus.
Pendebat supplicia insani Ambitus,
intra modicum Castrorum conclusus Ambitum;
Orbe arctabatur exiguo, qui immensæ cupidinis ingluvie,
Orbi imminebat uniuerso:
Omnia expertus Adversa, Pactorum Eversor,
cum Pedore loci, Pabuli inopiâ, Morborum illuvie,
& continuæ Mortis formidine depugnabat.
 Valefcebatur in dies Lues & Fames,

errabantq̄; homines ante Mortem præmortui,
ac sæpè ijsdem fossis cadentes ac conditi,
quêis bellaverant.

Mors votum simul erat & supplicium,
cùm graviùs censeretur, occultæ sub Famis,
quàm aperti Martis Tormento perire,
& longâ tabe absumi in vallo,
quàm brevi clade extingui in Campo.

Fractus tandem tot malis, dedit victas manus
LUBO MIRSCIO SZEREMETUS,
inter felices numerandus, nisi evertentibus Paëtorum
Religionem Scythis,

Dare coactus fuisset vinciendas.

Tutatus est quoad potuit Hostem **GEORGIVS**
in quo nihil præter Factum debellatum voluit:
quo ad Pedes suos, cum toto Castrensi apparatu,
Prostrato,

supposuit ruenti benignam manum,
ut molliore sensu Casum subiret.

Adeò Magnanimus Princeps,
alieno sanguini tanquam suo parcit!

Et scit Homini, non esse homine prodigè utendum ^{z.}
Atque hûc recidit tantus ille septentrionis Terror & Tumor,
in pulvere demùm, quem acclinis Victori Momordit
SZEREMETVS, *vanescens*

Cui illud ad cumulum infelicitatis accessit,
quòd à Ripâ **SRZENIAVÆ**, ubi Portum speraverat,
Barbarâ abstractus violentiâ,
ad Tantum **FLUMEN**,
Aquâ & Igni sensit sibi Interdictum.

Habes

*Habes Novum quem fabulosæ opponas Antiquati Perseum
in GEORGIO SARMATA.*

qui Aquilonarem Belluam Tuæ imminentem
Andromedæ feliciter confecit. ^{a.}

Instructus & ipse Palladiâ Ægide ^{b.}
ad cuius contuitum MOSCHI numero licet
ac robore longè prævalentes,
velut inducto perviscera saxo,
in fatalem stuporem diriguere.



INSCRIPTIO X.

PRÆCOCI FATO, ET PUBLICO
EX INDE CONSECU TO POLO-
NIÆ LUCTUI.



ARTIS Mortisq; Prænuntium ac baju-
lum fuisse JANUM

si quando Pandas Gentilitati explicuit Januas, ^{c.}

hodie etiam Christiani credimus,
quandoquidem inter sacratos JANO Dies,

Bellonam Libitinâ Comite,

Campos POLONOS irrupisse sensimus:

quarum illa ferales Ignes, per POLONIAM

UKRAINAMQUE SCYTHICA face accendit,

Ista Præcipuum SARMATIÆ splendorem ac

Jubar improvise extinxit.

Duplicem Ambiguiq; vultus JANUM ecquis ambigat? ^{d.}

qui

^{a.} Est Historia apud Ovid. 4. Metam: ^{b.} In hac erat Caput Meduse, quod aspicientes lapidescebant. Ovid. 5. Metamph. ^{c.} Bellorum tempore, semper Jani templum fuit apertum. ^{d.} Janus pingitur Bifrons.

qui cùm Amicâ manu, lætos menses euoluere,
LUBOMIRSCIO videtur, Aduersâ mox incidit:
In ipso Anni exortu, Tantum Sidus Fatali
obruens Occasu.

*Annales Clavos Manu Consulis, pangere in Capitolio
Calendis Januarijs R O M A siveuerat;
Nostris eheu! Capitibus,
Mensis hic Clauum impegit Sæcularem.*

Nunquam fanè Cœca Mors, & turpiùs simul
deerravit, & Certiorem librauit ictum;
quàm cùm eum fatali telo scopum fixit,
In quem Promiscuus Omnium Amor collimabat.

*Affectuum semper hæc Meta erat, non Luctuum;
At ecce Miseranda Catastrophe!*

*postquam omnes Nervos consumpsit Patria
in Attollendo LUBOMIRSCIO,
Perniciori Neruo vsa est LIBITINA in Tollendo.*

Ebria licet multo (quem jam tot Annis per
POLONIAM haurit) sanguine,
Sagittandi tamen Rationem,
Rationis impos non amisit;
quæ, cum vinoso CAMBISE,
Cor ipsum SARMATIÆ, Lethali cuspide adegit.
Victrix tamen de Manubijs fratæ Mortalitatis
Trophæum ne erigat;

Mox ipsa LUBOMIRSCIANI inter Titulos
Triumphii circumducenda,
cui dum vitam abstulit, Patriæ vel extra Patriam
impensam esse Monstravit.

Quinquaginta jam ille Annos saluti ejus tuende impenderat:

R

Ver-

Vertente demùm Jubileo f.

*Postquam agrè præsumptæ Remissionem noxæ,
à Læso Principe, post Biennium obtinuiſſet
Munerum Vacationem & ſupremam poſt bella Quietem,
intra quinque Dies, à Marte obtinuit.*

*Libenter in Primigenium reſolui ſe paſſus puluerem,
dummodò in ejus Fauillâ, Publici Diſſidij Flamma,
deſagraret:*

*Et quod olim in Funebri Cæſarum fiebat Pyrâ,
Liberâ Aquila POLONA è Parentali ſuo Rogo euolaret.
Adeò Mortali quoque rigeſcens Gelu,
Amore Boni Publici æſtuabat!*

*ut vel exhalato Spiritu, deficientem PATRIAM,
in meliùs Animare præoptârit!*

*Verùm Major in illo Chriſtianæ Pietatis Ardor,
ad proximũ fatalis Cineris conſpectũ Incanduit:
præfertim ubi excedenti Mundano Orbe,
Viufici Panis Orbe clauſus adfuit ille,
QVI IGNIS CONSUMENS EST. g.
Sepeliuit tunc omnes Perenni obliuione Injurias,
ante ſui aditum ſepulchri:*

*& priùsquàm deſtinatam Mortalibus biberet LETHEN,
æternâ LETHE illatas ſibi offeſas merſit.*

*Totum deinde Animum vertit ad eam,
quam brevi initurus eſſet Æternitatem.
Cùmq; jam Originariam Terra ad Jus ſuum
reuocaret particulam;*

*Peroſus Bona quæ Rapi poſſe expertus fuerat,
In illa toto votorum ambitu conniti cepit,
quæ*

*f. In veteri Teſtamento annus quinquageſimus erat Jubileus. g. Deuteron:
Cap: 4. dicitur. Deus noſter ignis conſumens eſt.*

quæ nec Dari queunt ab Hominibus, nec Auferri.
Timebant pro illo Omnes, qui Conscij quantum
POLONIÆ decederet,
Sucto jam votorum vsu, nihil de illo nisi secunda
cogitare sciverant:

Ipsè inconcussus ad ultimæ necessitatis
componebatur Leges,
Momentanæ jaçturam vitæ,
Perennis Fiduciâ animans.

*Vnus duntaxat in illo Terribilium omnium Terribilissimo
Termino, abeunti hærebat Metus,
quo Patriæ non sibi timebat;*

Tunc magis circumspèctione salutis Publicæ
Anxius,

cùm saluti suæ, post tot, quibus jaçtatus fuerat,
Discrimina, Optimè consultum speraret.

Sic nimirum vitam egit, ne vitæ Extrema horreret,

Sic Totos dies ad decursum Solis Justitiæ inflexit,

vt post Dierum occasum, evitâ Mortis caligine,

Illius luce frui posset.

*Obijt Placido Lethi genere, quale AUGUSTUS
quondam suspirabat;*

Quinquaginta Ætatis Annos deducens ad Tumulum:

*Breve spatium si vitam spectes, Ingens si partam
tot Facinoribus Gloriam,*

*quæ Morienti superstes, post exactæ etiam Mortalitatatis
Terminum, ultra*

omnem protendetur Terminum.

AT IV INFELIX PATRIA.

cui supremum exacti Patriâ LUBOMIRSCIJ
spiritum relegere non licuit.

*Non composuisti caligantia in Morte Lumina,
in quibus Tu videbas;*

*Non hausisti ultimos anhelitus, qui nihil præter Tuam
Libertatem spirabant;*

Irrôra jam vdis Fletibus Siccis Cineres,
in quibus tantus subsedit elanguitq; Splendor,
Funde Mæstos ex Oculis Amnes,
quando salutaris præ oculis fatali vredine
exaruit Amnis.

O Præceptum nimirum in Clades Nostras Fatum!

*Et implere Tyranni illius, unam Populo Romano
precantis Cervicem, Vota Ausum!* ^{h.}

*ut in uno hoc Capite strata L E C H I Æ uniuersitas
succumberet.*

Diuinare jam inde Ferales has Exequias licuit;
dum Parentalis Rogus barbarâ structus manu,
totis ROXOLANIÆ Campis præarsit.

Et ne iusti Doloris Pompa deesset,
Anteuere moriturum LUBOMIRSCIUM,
non jam Empti Præficarum Luctus,
sed quos Neruus, & SCYTHICA Lora,
& injecta Liberis Cervicibus vinela expressere.

Atq; utinam plures ad busta hæc non cadant Inferiæ! ^{i.}

Neque Tanti ACHILLIS Manibus sua etiam
addatur POLYXENA

LIBERTAS nimirum POLONA
quæ per Magnorum Virorum Funera,
proprijs lentè admouetur Extremis.

Rarò Solos Efferri contigit Heroas;

Itemq;

^{h.} Caligula Caesar ita dicere solitus suetonius. ^{i.}

*Venere plerumq; in appendicem fati, integra Regna
Idemq; sepe dies Respublicas LETHO destinauit,
qui earum Capita sepulchris intulit.*

Cognatum quiddam Magnis fideribus
Magnæ habent Animæ,
quorum deliquia, inferior sequitur,
& sentit Mundus.

*Usque adeo à Principum Mortibus,
Mortalis in terras Transit Languor!*

*Fatiscitq; repente Vastum illud Regnorum Corpus,
ubi communis quo agebantur, intercipitur Spiritus.*

Stetisti hæctenus *SARMATICUM ILIUM*,
tot licet Decenniis pressum,
Hoc stante *HECTORE*.

Dî Meliora? ne per casum ejus,
Fata pronam ad Casus Tuos,
inveniant aut sternant viam.

*Quam timeo Danaos vel Dona ferentes!
& quidquid Divinâ Palladis Arte, in speciem struitur,
presertim si Domesticus adsit Sinon*¹

Esse alternas Animorum Metempsychoses,
specioso Pythagoras vulgavit Commento;
optaret hodie *POLONIA* etiam vero!

Quatenus *LECHIADAS* suos
Mens *LUBOMIRSCII* animaret;
& transfusus in eos Excelsi Spiritus vigor,
pari Laudis ac Libertatis Amore calesceret.

*Ad Te præcipue anhelos tendit visus,
ô Inclyte Filiorum Quaternio
in quo amissum Parentem restitui sibi sperat & expectat.*

S

Immi-

1. Sumpta hæc ex 2. Æneid. Vig.

Immigravit in Vos
ipso Genethliacæ Fortunæ tractu,
Magnus ille GEORGII Genius;
& Virtuti Illustrissimi Sanguinis
addidit Dotem Paris Animi.

*Reddite eum in Opere, quem hausistis ex Genere;
ac Insignibus Factis Paterna reanimando Fata, efficite,*

*Ne quod olim in Philopæmene Græcia^m
in Bruto luxit Romæⁿ*

hoc fessa malis sentiat gematq; POLONIA;
GEORGIUM nimirum fuisse POLONORUM Ultimum.

Ita à Tumulo hoc subsilire ad Æternitatem licebit;

*cum Paterno incensis Exemplo,
Gradus fiet ad Perennem Vitam,
neglectus præsentis;*

*quam perdere ne Gloria ac Libertas perdatur,
potiore lucro invenisse est.*

*Fuerit fatale Neroni, ominosam vocem è Tumulo
audijsse Augusti.*


Veluti Nomine evocantis. °.

Huic quisquis monentem è suo Monumento attenderit

GEORGIUM,

*ab ipso ejus Funere instaurata in melius surget vita,
Pulchro virtutis artificio, ultra vitæ Metas proroganda.*

*m. Lipsius. In Monitis Politicis lib. 1. Cap. 8. n. Sueton. in Julio Casare. °.
Sueton in Nerone §. 46.*



Legi has inscriptiones & typo dignas judico.

Henricus Juncker/Soc: JE S U Rhet. Prof.

Imprimatur.

Paulus Zherniz Univerf. Vien: Rector.,

K S I E G O Z B I Ó R

MARCINA ZAMOJSKIEGO

1054 KZ r-KZ